

tam, posterior verò non item secundum se totam, licet juxta partes. Hinc ritè vocari possunt circuli entia rationis ratiocinata seu vestigia quasi & tractus imaginarii, quæ stellarum transitus post se relinquere videntur, & quorum beneficio motus stellarum primus demonstratur.

§. 5. Maximus verò circulus est *Æquator* non ob id quod Sol eum attingens maximum absolvat gyrum, cujus semidiameter sit maxima ejusdem à terra distantia, tunc enim hisce seculis est in media fere distantia à centro terræ; in tropico verò *Cancris* nunc pene in maxima, in Tropico *Capricorni* in minima; sed quia plano suo per centrum sphaeræ transit, aliosque circulos maximos np. *Horiz. merid. Ecliptic. circ. decl. & latit. &c.* ad partes æquales secat, per lib. 1. *Sphaer. Theodosii Tripolitæ* prop. 6. II. 12.

§. 6. Mobilem & invariabilem dum appellamus non facimus *σηδερόζηλον*. Mobile quippe vel immobile resp. motus vel quietis, invariabile & variabile respectu identitatis, nullo ad motum habito respectu, vel diversitatis apud *Astronomos* dicitur. Movetur *Æquator* etiam me non cogitante, fixum tamen in cælo situm obtinet in quocunque sphaeræ positu. Unum habemus *Æquatorem* nos in Zona temperata septentrionali degentes cum iis qui in *Sumatra* sunt, quamvis diversimode habitatorum utrinque vertici incumbat: Contrà verò se habet res cum circulis immobilibus & variabilibus, qui ad motum sphaeræ non moventur aliam tamen atque aliam pro variatione locorum accipiunt diversitatem. Sic nobis & *Americanis* unus idemve *Meridianus* aut *Horizon* constitui nequit.

§. 7. *Æquidistare* verò *Æquatorem* à *Polis* mundi vel hinc innotescere potest cū utriq; poli coincidunt nec alius sit mundi *Polus* vel axis ab ipso *Polo Æquatoris* aut axe. Hi poli ut ait *Crugerus* in *Sphaer.* interdum cardines & vertices mundi appellantur, à motu cæli qui super ipsis fit, quanquam frequentius cardinum mundi appellatio soleat. 4. *Plagis* primariis attribui. Horum alter *Arcticus* ab *Ursis* prope illum sitis & septentrionalis à septem terionibus seu bobus
astrum